



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatvs De Superstitionibus, Contra Maleficia Sev Sortilegia Qvae Hodie vigent in orbe terrarum**

**Arles y Andosilla, Martin de**

**Romæ, 1559**

Quid sit superstitio declaratur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29941**

## Quid sit superstitio declaratur.

**S**uperstitio enim vt habetur a docto-  
ribus & super illo passu ad Collocē.  
.ii. quę sunt rationem haben-  
tia sapientię in superstitione est Religio  
supra modum seruata habens rationem  
sapientię non in veritate : sed in falsi-  
tate quę est abundans vbi nulla utilitas :  
sed per humanam sapientiam quę vt di-  
citur Iacob.iii. Terrena est animalis &  
diabolica. Item Gregorius ibidem in  
glo. superstitio simulata est Religio vt vi-  
deantur vera quę falsa sunt : quę men-  
tes in terrena humiliat, ne erigan-  
tur ad superna. Et Nicolaus ibidem in  
superstitione .i. superflua & vana Reli-  
gione. Ex quibus sequitur quod super-  
stitio est Religio supra modū seruata. i.  
modis & circūstantiis malis & defectuo-  
sis. Pro huius tamen ampliori decla-



## TRACTATVS

ratione notandum est quod dicit beatus Tho. ii. ii. q. xcii. ar. i. superstitio inquit est vitium religioni oppositum: secundum excessum plus exhibens in cultum diuinum quam vera Religio: quia exhibet cultum diuinum: vel cui non debet, vel eo modo quo non debet: prout in cultu diuino fit aliquid quod fieri non debet. Sed actus submergendi imaginem (quem isti faciunt) est huiusmodi. Nam in cultu diuino faciunt illud quod fieri non debet: ergo cultus diuinus fit eo modo quo fieri non debet. Et si totus actus eorum redditur malus ex mala circumstantia: quia secundum Dionysium de diuinis nominibus, bonum est ex integra causa: malum autem ex singularibus defectibus: ergo isti & alii huiusmodi committunt superstitionem. Nam quod processionaliter eant ad dictam Ecclesiam & quod ibidem missam celebrent, &c. actus est religionis cum religio sit vir-



tus inclinans ad reddendum debitum cultum & honorem Deo : ratione sue excellentię : vt ponit sanctus Tho. ii. ii. q. lxxxi. ar. ii. & tam in cordis quam in corporis actibus .

Questio, religioni opponitur superstitio, declaratur.

**H**ic tamen actui opponitur prima species superstitionis quam ponit beatus Augustinus in libro de doctrina Christiana : & est quando diuinus cultus exhibetur Deo vero modo tamen indebito . Nam secundum quod diuinus cultus ordinatur ad quandam directionem humanorum actuum, secundum instituta Dei qui colitur, ad hoc pertinet superstitio quarundam obseruationum vel obseruantiarum . Cum igitur sub pretextu Religionis isti imaginem sancti Petri ad oram fluminis ducāt : eamq;